

III. CURTIUS.*

DE REBUS GESTIS ALEXANDRI MAGNI.

ORATIO CHARIDEMI AD DARIUM. (LIB. III. CAP. II.)

Charidemus Atheniensis, exulans apud Darium, Persarum regem, contracto ab eo numeroso exercitu adversus Alexandrum, Macedonum regem, sententiam de apparatu universo rogatus, liberius, quam felicius, respondet: sibi exercitum illum, etsi numero superiorem, tamen virtute longe inferiorem videri.

Verum, et tu forsitan audire nolis, et ego, nisi nunc dixero, alias nequidquam confitebor. Hic tanti apparatus exercitus, haec tot gentium, et totius orientis excita sedibus suis moles, finitimis potest esse terribilis: nitet purpura auroque, fulget armis et opulentia, quantam, qui oculis non subjicere, animis concipere non possunt. Sed Macedonum acies, torva sane et inculta, clypeis hastisque immobiles cuneos, et conserta robora virorum tegit. Ipsi phalangem vocant, peditum stabile agmen. Vir viro, armis arma conserta sunt: ad nutum monentis intenti, sequi signa, ordines servare didicere. Quod imperatur, omnes exaudiunt: obsistere, circumire, discurrere in cornu, mutare pugnam, non duces magis, quam milites, callent. Et ne auri, argentique studio teneri putes, adhuc illa disciplina, paupertate magistra, stetit. Fatigatis humus cubile est: cibus, quem occupant, satiat: tempora somni arctiora, quam noctis sunt. Jam Thessali equites, et Acarnanes, Aetolique, invicta bello manus, fundis, credo, et hastis, igne duratis,

* Ex edit. Amstelodamensi Elzevirii. an. . .